

Pag. m. 107. Aphorismus 10.
Christus non impetravit morte sua omnibus salutem sub conditione.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Quamvis non placabilem aut reconciliabilem Patrem rediderit sub conditione dubia, sed revera placatum & reconciliatum; *Gal. III, 13. Rom. VIII, 32. 33. Hebr. IX, 12. 2. Cor. V, 19.* nemo tamen factæ cum Patre reconciliationis particeps fieri potest, nisi sub ordine fidei, quæ offertur, unicuique, *Act. XVII, 31.* & est medium ἀπὸ τῆς πίστεως, *Job. I, 12.*

2. Finis quidem mortis Christi non fuit possibilitas salutis, sed actualis salus, *Col. I, 19. 20. 22. 1. Petr. III, 18. 1. Job. IV, 9. 2. Cor. V, 21.* NB. ex parte & intentione Christi, Deique, certum salutis ordinem præscribentis, quem nemo hominum transgredi audeat, sine dispendio salutis, per Christum recuperatæ, *Job. III, 36.*

3. Etsi Christus morte sua non tantum jus remittendi peccata, sed & ipsam peccatorum remissionem acquisivit; *Jes. LIII, 5. 6. Job. I, 17. 1. Job. I, 7.* acquisitio tamen non est appropriatio, qua opus est homini salvando per fidem, *Gal. III, 13. 22.*

4. Non pro solis electis Christus mortem subiit, *Rom. VIII.* sed pro omnibus hominibus promiscue, *2. Cor. V, 15. 2. Petr. II, 1.*

5. Cum impetratione salutis cohæret ejus collatio, ex serâ DEI intentione, ita, ut omnibus velit conferre salutem, quam Christus impetravit, si modo credant, *Rom. V, 1. 2. 8. 9. 10. Cap. VIII, 31. 33.*

CAPVT XXI.

DE STATV HVMILIATIONIS ET EXALTATIONIS C.

Pag. m. III. Aphorismus 1.

Descensus Christi ad inferos non significat localem Christi descensum in locum damnatorum.

Est falsus & erroneus. Nam, licet salvator ibi a) cruciatus infernales non sustinuerit, namque omnia jam erant consummata, *Job. XIX,*